

**Dissertatio inauguralis medica de ulcere ventriculi perforante, quam consensu et auctoritate illustrissimi ac magnifici domini praesidis ac directoris ... Universitate Vindobonensi ... / publicae disquisitioni submittit Ferdinandus Marouschek.**

### **Contributors**

Marouschek, Ferdinand.  
Rokitansky, Carl von, 1804-1878.  
Universität Wien.

### **Publication/Creation**

Viennae : Typis congregationis mechitaristicae, [Anni 1839]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pqcyddc8>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**ULCERE**  
**VENTRICULI PERFORANTE,**  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI  
DOMINI  
**PRAESIDIS AC DIRECTORIS,**  
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI  
DECANI,  
NEC NON  
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM  
D. D. PROFESSORUM  
PRO  
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME OBTINENDIS  
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE VINDOBONENSI  
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT  
**Ferdinandus Marouschek,**  
Bohemus, Straconicensis.

---

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus  
die 20. mensis Aprilis, Anni 1839.

---

VIENNAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.



/MAR

61771/10


Nisi utile est, quod agimus, vana est gloria nostra.

*Hufeland.*

# **PATRI OPTIMO**

*gratissimus filius.*





Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30388478>

## **Prooemium.**

Quum ulcus ventriculi perforans, non solum in praxi nosocomiali sed imo et in privata tam frequenter observandum, phaenomenis non solum externis sed potius adhuc internis — cultro anatomico solum detegendis — ad morbos pertineat maxime memoratu dignos, illiusque diagnosis summis adhuc prematur difficultatibus ingenii acie devincendis, ad uberimas et tam solerter a clarissimo **Dr. Professore Rokitsansky** circa illud institutas observationes divulgandas symbolam conferre velim. Contigit mihi benevolentia clarissimi et doctissimi **Professoris Rokitsansky** nec non illius **Assistentis**, celeberrimi



**Dr. Koletschka** singularis honor, adminiculis —  
lubentissime praestitis — uti, quorum ope soluta mihi  
erant omnia.

**Etsi** tanta, quantam **Viris** illis debeo, gratia  
referri non potest, habeo tamen, quantam maximam  
capere animus meus potest.

**Dabam Vindobonae mense Aprilis 1839.**

***Auctor.***



## Notio historica.

**A**ntiquorum experientia de ulcere ventriculi perforante nos penitus latet, et recentiorum observationes singulatim et rarissime ad nos relatae nulla adhuc adtentione dignatae fuere. Sic clarissimus *Courtial* (*Journal de Sçavans* 1688) *Littre* (*Memoire de l'acad. des Scienc.* 1704. Pag. 36) *Santesson* (1790. *Sammlung für praktische Aerzte.* B. XV. S. 455) *Baillie* (1794 S. 73. *Anatomie des krankhaften Baues, aus dem Englischen von Sömmering*) *Cruikshank*, *Morgagni* singulas de hoc morbo adtulerunt observationes graphica interdum delineatione insignes. *Petrus Frank* (1805, Lib. de curandis hominum morbis, in sectione de Haematemesi,) etiam de ulcere perforante mentionem facit. Inter Coaevos *Abercrombie* (*pathologisch = praktische Untersuchungen über die Krankheiten des Magens und Darmkanals, aus dem Englischen übersetzt von Gerhard van der Busch, Bremen, 1830*) hujus morbi notionem fusius adumbravit et per, circa ulcus perforans, sonantes morborum historias, diligentissime conscriptas, haud parum ad mali nostri dilucidationem contribuit. Celeberrimus *Cruveilhier* communi fama hujus morbi gnarissimus primus erat, cui secundum *Hope* (*Siehe dessen pathologische Anatomie* S. 261) meritum attribendum est, hoc malum, singulari sua forma excellens, dignoscendi et qua morbum sui generis stabiliendi. Recentissimo tempore schola nostra anatomico - pathologica thesaurum observationum in lucem edidit, quarum fructus exquisita ulceris perforantis cognitio consideranda est.

## Nomen et synonyma.

Ulcus ventriculi perforans — a clarissimo Professore *Rokitansky* sic appellatum — denominationem suam derivat a perforatione ventriculi, quum hoc unicum symptoma naturam processus singularis, in sphaera vitali



ventriculi obtinentis significare queat. Secundum celeberr. *Kolletschka* nominatur „ulcus resorptione ortum” (*Resorptionsgeschwür*) quia nec in basi nec in ulceris peripheria se-vel excretum aliquod aut massae parasiticae cujuspiam infiltrationem investigare valuit. A clarissimo *Cruveilhier* nuncupatur „*Ulcus ventriculi simplex*”. — Das einfache Magengeschwür. — Das chronische Magengeschwür.

### **Descriptio anatomico - physiologica.**

*Ulcus ventriculi perforans* foramen sistit stricte orbiculare, circulo ferro terminali acutissimo caeso non dissimile, 3''' fere diametri, cum margine peritoneali peracuto. Si ab interiore illius lustratur facie, major membranae mucosae jactura oculos ferit, quum margines foraminis ab intus exteriora versus acute decurrunt, hinc quidpiam infundibuliforme terminant. In circumferentia perforationis membrana mucosa varia in extensione suffarcinata — quidpiam tumens conspicitur, strati vero muscularis et membranae serosae, quae extrorsum ventriculum ambit, nulla perquirenda alienatio.

*Haec forma ulceris stricte orbicularis* solum ab exordio pathognomonicum sistit signum, nam majorem in decursu ulteriore nactum extensionem formae potius approximatur ellipticae, (quod etiam in casu occlusionis per organa vicina — contigua locum habet), donec devastatione ambitu considerabili proserpente irregulare evadit, in sinus variae extensionis, formae, diametri terminans.

*Acies marginis* — qui per omnes ventriculi formatur membranas — in omnibus stadiis, quae ulcus percurrit, characteristicum est; non [minoris valoris frequens ulceris versus *axim transversalem* (ab arcu minori majorem versus) extensio, quo ventriculum exinde cinguli instar amplectitur.

*Sedes* ulceris dimidio ventriculi pylorico praeprimis adstricta est. Summopere parietem posteriorem anteriori praediligit, et fere constanter regionem arcui superiori cor-



respondentem (curvaturam minorem) tenet; pylorum versus raro, rarius adhuc in parte duodeni superiore et descendente inveniendum, unica vice coeco ventriculi insidebat fini.

**Celeberrimus Professor Rokitansky** in sexaginta tribus casibus:

20<sup>ies</sup> in posteriore ventriculi pariete,

15<sup>ies</sup> in curvatura illius minori,

5<sup>ies</sup> in pariete anteriore,

16<sup>ies</sup> in pylori regione,

6<sup>ies</sup> in duodeno, et

unica vice in fundo ventriculi animadvertit.

*Magnitudo* ulceris etiam summopere variabilis. Saepissime lentis, nummi, vigesimarii, imo thaleri, in casibus sat raris palmae aequiparat ambitum. Saepius unum tantum invenitur, in aliis vero casibus plura in ventriculo nidulantur, ita, ut tria imo quinque jam observata fuere, supra vel juxta se invicem sedentia, — rarius unum in anteriore, alterum in posteriore ventriculi facie detegendum, et rarissime ita situata sunt, ut unum supremam teneat duodeni partem, dum alterum ventriculo insideat, parti pylori proximae, per valvulam stricte a se invicem separata.

### **Ulceris evolutio, decursus, terminationes.**

Quum solum in illis casibus, ubi morbus acutus, — ventriculo longe alienus — aegrum e medio tollit, nobis occasio praebeatur, malum nostrum in primo evolutionis suae gradu observandi, et quum solum in ultimo stadio lethalem involvat exitum, multis difficultatibus implicatur conamen, formam, cum qua morbus exordium capiat et ulteriorem illustrandi evolutionem. Secundum disquisitiones scholae nostrae pathologico-anatomicae morbus aut cum circumscripta membranae mucosae emollitione (*Abercrombii* inflammatione chronica plagae circumscriptae membranae mucosae) aut certis li-



mitibus arcta, per strata singula sensim sensimque progrediente membranae mucosae exfoliatione — erosione initiatur.

*Casu primo* circumscripta pars membranae mucosae per irritationem plus minusve vehementem pedetentim desorganisatur, et in pulvem consistentiae mollis, coloris flavescens, commutatur, Eschara, quae per consolidationem pultis gradatim procedentem formatur, serius solvitur et ulcus depressum, acute limitatum exhibet. Haec escharae formatio per strata singula tarde proserpit, et effectus callosae membranarum degenerationis esse videtur.

*Casu secundo* pars membranae mucosae circumscripta vasis pedetentim destituitur et omni materierum vicissitudine carens, sensim efoliatur, donec in ulcerativam irruit degenerationem.

Haec membranae mucosae destructio creberrime sanatur per cicatricem stellatam, longitudinaliter decurrentem. Processus destructionis nempe ad submucoso-cellularem restringitur, quae pedetentim strictior densior fit et texturam tandem celluloso-fibrosam exhibens, margines membranae mucosae jungit, contrahit et cum illis in unum coalescit. Spatium vero si quod adest interstitiale strato nonnunquam obtegatur seroso, splendente, donec tandem cicatrix formatur pigmento nigro distinguenda, quod vero mox resorbetur.

Decursu ulteriore ipsa tum membrana muscularis, per ulcerationis processum profundius penetrantem contiguitate afficitur. — Sed et profundiora ulcera stratum musculare jam permanentia et ambitu sat lato extensa sanantur. Fasciculi musculares in substantiam fibro-cellulosam degenerant et intimam cum reliquis ineunt membranarum unionem. Quum vero in circumscripta cicatricis sede punctum nanciscuntur fixam actionem ventriculi muscularem vario in gradu et extensione impediunt. Cicatrices tali ratione formatae semper magnitudini jacturae substantiae correspondent, fasciculatim decurrunt et ventriculum in transversa diametri directione contrahunt, constringunt, et sic hujus causant



abbreviationem. Interdum praeprimis et singulariter pylori angustatur regio, in qua simultanea membranae mucosae hypertrophia deprehenditur.

Stratum peritoneale sphaerae hujus processus serius etiam intruditur, et in escharam squalidam, leviter flavescens, confertur, quae ab interna peritonei facie dirumpens, foramine cuspidis vix exsuperante terminat vel ex toto diffluit. — Non desunt casus, in quibus membranae mucosae et muscularis facta observatur cicatrissatio, dum eschara solvitur peritonealis.

Perforatio ipsa consuetim medium tenet ulceris et per intimum et minimum orbium, qui omnes concentricè decurrunt et per mucosam et muscularem describuntur membranam, definitur.

Tegumento peritoneali destructo, perfosso — nisi membrana serosa in plaga exulcerata strati lymphatici exsudati ope partibus adnectitur vicinis — libera subsequitur humorum in abdominis cavum effusio, quae cito lethalem progenerat peritonitidem. Sed et hic exitus crebro praecavetur. — Irritatio inde contingens membranae mucosae hypertrophiam calositatemque baseos et marginum ulceris secum fert, quam in aequabili fere tenore perstantem simultanea strati lymphatici in pariete peritoneali sedi ulceris correspondente exsudatio, quam productum inflammationis arcto circumscriptae termino consequitur, cujus ope ulcus in margine peritoneali cum vicinis feruminatur organis. Sed haec adhaesio textus cellulosi ope, tenerae plerumque compagis lethalem morbi exitum interdum impedire non valet, quum perforatione vix locum habente, partim per inflammationem vehementem consecutivam, partim mechanice per contentum ventriculi inundans statim solvuntur vincula tam facile dilaceranda. Ubi vero adhaesio per exsudationem strati fibrocartilagini contigerat, mollis illa firmior, aensior impetui contenti effluentis sat renititur.

Secundum claris. *Rokitansky* cellulosa adhaesio saepissime ventriculum inter et omentum majus sursum mo-



tum, vel sinistrum hepatis lobum observanda, dum fibrosa adnexio plerumque inter anteriorem ventriculi parietem vel arcum minorem et concavitatem sinistri hepatis lobi locum habet. Saepissime vero posterior ventriculi facies cum pancreate vicinisque glandulis lymphaticis, raro cum diaphragmate, conglutinantur.

*Abercrombie* unica vice talem expertus est adhaesionem.

Rarius anterior ventriculi pars cum lamina superiore mesocoli transversi et rarissime posterior ventriculi facies cum liene illuc tenso inter se continentur.

Hic loci erit singularem marginis membranae mucosae rationem in casu occlusionis ulceris per organa vicina afferre.

Ante perforationem margines membranarum singularum scalarum decurrentium ostendunt formam, donec decursu ulteriore ora muscularis hucusque patens sub marginem membranae mucosae retrahitur — qui tandem super priorem evertitur et strato cellulari subseroso contiguus fit, dum ulcere perforante per organa contigua occluso, textum pseudomembranosum nectentem tangit, extra ventriculi cavum situm, quin cum illo coalescat. — Sponte liquet, quod perinde spatium perforatum nunquam per organon occludens ita expleatur, ut hoc cum interiore ventriculi pariete in eodem collocatum sit plano, vel prorsus in illius promineat cavum, sed margo membranae mucosae tali ratione circumvolutus in omni sua circumferentia *liber* super organon occludens eminent. Glandulae lymphaticae ob textum eorum facile turgescunt et hypertrophiam crebro remanentem unicam admittunt exceptionem.

Formatur exinde tenuis *excavatio*, quae interdum in sinum lateralem magnitudinis nonnunquam eximiae augmentatur, qui a textu celluloso organi occludentis cinctus, et strato fibro celluloso sat crasso obvolutus per orbicularem interdum aperturam — ab illo margine membranae mucosae circumdatam — cum ventriculi communicat cavo.

Celeberr. *Rokitansky* tales sinus praepriis in minore ventriculi curvatura pylorum versus et vicino lobo hepatis



sinistro observavit, quum hoc ventriculi segmentum praecipue impulsui contenti irruentis pateat. Sed etiam ante plenariam perforationem tales jam occurrunt recessus inter textum celluloso-subserosum et eversum membranae mucosae marginem.

Etiamsi in casibus plurimis per adhaesiones nuper relatas libera ventriculi cum cavo abdominis praecaveatur communicatio, tamen non raro stratum lymphatico-cellulosum ferruminans sensim sensimque attenuatur, consummitur et textura organi obdurantis inde patens processui singulari sua indole profundiora semper tendenti committitur. Tali ratione septum transversum, ventriculo in plaga exulcerante adnexum, perfossum, imo pulmonis basis illi adhaerens erosa reperiatur.

Processu exulcerationis vero extra ventriculi parietes ulterius serpente phaenomenon tunc in lucem emergit, quod improvise et juxta omnem medici expectationem se palam faciens cum summo vitae discrimine junctum incedit.

Hoc symptoma, cui summus attentionis gradus tribuendus, *Haematemesis* est.

Sanguis, qui vomitu effertur, aut merus est, fluidus, ruber, vel ater, coagulatus, grummosus, odoris nonnunquam ingrate nares ferientis, aut expers.

Qui in decursu totius morbi occurrit vomitus materiem pituitosam, particulis grummosis, nigro-brunescentibus permistam vel fluidum infuso pulveris fabarum *Coffeae tostarum* simile efferens, semper signum pathognomicum haemorrhagiarum plus minusve vehementium, repetitarum sistit, quarum fons non adhuc perspectus est, et quae universim minoris habendi sunt momenti, quando ulcus ventriculi non perfoderit parietes, quum tunc minora solum laeduntur vasa, quae partim jam in exordio erosionis per callositatem baseos ulceris incrassatam, partim per exulcerationem ipsam profundius penetrantem oblitterantur. Tales haemorrhagias processu exulcerationis parietes ventriculi nondum perfodente tamen locum habere, coagulatum



recens natum, grummosum, nigro bruneum, colorque baseos ulceris nigrescens, rubiginosus, vel laevis, et ostiola surculorum late patentium sat comprobant.

Ventriculi pariete vero perforata, exulceratio majora in et ultra exsudatum pseudomembranosum decurrentia, vel in parenchyma organi oblitterantis pergentia offendit vasa, — laedit — erodit. Tali ratione arteriae lienales, coronaria ventriculi, pylorica, gastro-epiploica, gastro-duodenalis cum illorum surculis nec non pancreatis ipsius vasa erosa visa sunt; quam destructionem vero non solum experiuntur vasa sanguifera, sed etiam ductus defferentes — excretorii; ex. g. ductus Virsurgianus pancreatis cum suis ramificationibus, uti observationes investigatione accuratiore institutae sat luculenter docent. Nonnunquam oculo inermi ostiola illorum fimbriata, inaequalia, marginibus tumidis animadvertuntur, quae in imperfecta cicatrice terminantia completam ulceris consolidationem impediunt et fistulas longaevas imo perennes relinquunt.

Casu faustissimo, quo ulcus perforans majoris circumferentiae super organon obstruens perfecte cicatriscitur, cicatrix formata, quae, uti jam supra adtuli, semper jacturae substantiae correspondet, insignem parietum ventriculi procreat contractionem et quum saepissime in pariete posteriore vel arcu superiore decurrat, ulcus perforans cicatrisationem notabilem parietis posterioris abbreviationem cum simultanea cardiaae pylorum versus approximationem consequi debere sponte fluit, dum ventriculus in fundo et secundum curvaturam arcus majoris in saccum extenditur plus minusve majorem.

### **Diagnosis.**

Phoenomena ulcus perforans definitia plerisque in casibus tribus absolvuntur stadiis, duratione incerta et transitu successivo stipatis.



### Stadium primum.

**Character anatomicus.** Membrana ventriculi mucosa vasis sanguiferis ditior, quidpiam tumet, roseo, laevi, imo punctato tingitur colore, uti in irritatione chronica, notae catarrhalis, observari licet.—Hanc irritationem consequitur serius hypertrophia membranae mucosae cum mucii tenacis, spissioris, secretionem. — **Blennorrhoea chronica.**

**Symptomata.** Stadium primum diuturnis imo in annos extensis exordium ducit digestionis molestiis, inter quas sensus ponderis, tensionis, epigastrii per vices inflatio, anorexia, nausea, pyrosis, vomituritio, sapor acidus aut limosus praecipue referuntur, et quae coena lauta intensiores redduntur, diaeta vero restricta, blandiore, demulcente, mitigantur. Creberrime singularis in certos cibos, aegrotanti perbene notos, directa evolvitur sensilitas. Aegri summo studio his cavent, quum illorum usu sensus oppressionis in dolorem violentum, constringentem, intendatur, qui peracta etiam digestionem continente vehementia urget.

Universim hoc stadium — difficillime dignoscendum — summa functionum digestionis perturbatio characterizat. Sic appetitus per vices vividior, per vices est imminutus, vel plenarie deest, — cibi avidissime exoptati repudiantur vix gustati; — in alio casu irritantia, stimulantia solum desiderantur alimenta et non raro titillatio persentitur continua certae ventriculi plagae adstricta, quae alimento statim sumpto sopitur.

Sitis vel plenarie abest, in casibus — omnino rarissimis — symptoma sistit principale.

Dolor est phaenomenon inconstans; vel continuus vel per intervalla solum intensior est, vel penitus silet. Continuus minoris plerumque vigoris illi, qui periodice recurrit, et accessiones celebrat singulas.



Semper haec symptomata concomitatur vomitus fluidi viscido aquosi, acescentis, jejuno plerumque subintrans ventriculo, vel etiam coenam subsequens lautiolem, quatum vel ingesta cuncta, vel cibi distinctae qualitatis eji-ciantur. In casibus raris sola epigastrii inflatio, ructus, vomituritio, quin vomitus perficiatur, observantur.

### Stadium secundum.

**Character anatomicus.** Membranae mucosae pars circumscripta irritatione continuo vigente emollitur, dum per reactionem simultaneam textus submucoso-cellularis incrassatur, callose degenerat, et pedetentim in escharam commutatus exfoliatur, quae escharae exfoliatio profundius tandem penetrans ulcere terminat orbiculari, marginibus peracutis.

**Symptomata.** Aeger continuas de ventriculi molestiis fert querelas, fusas de dolorum *duratione, natura, directione* exhibet notiones et intime se persuasum sentit, quod nullibi nisi ventriculo laboret, certisque solum cibis et quidem in minima quantitate frui possit. Dolores tendentes nunc in *ardentes, lancinantes, constringentes*, intenduntur, *periodice* recurrunt, diutius durant, et a cibis interdum blandissimis identidem revocantur, per vomitum solum serius ocius subsequentem compescendi. Haec summa ventriculi sensilitas, qua nec blandissima feruntur alimenta, dolorumque *constans periodicitas* nuper recensitorum, nec non vomitus cum evacuatione assumptorum et fluidi pituitosi, flaccis nigro-bruneis (sanguine digesto) intermixti, quem aeger communiter post vehementem dolorum insultum patitur, ulcus formatum designant. Ultimum phaenomenon, quum in hoc stadio nunquam defuisse dicitur, valorem vere pathognomonicum sibi promeruit.

Ulcere formato omnis ventriculi per manus rudior indagatio aut recusatur aut dolorum imanium causat intentionem; quae sensilitas interdum ad locum circumscriptum



restringitur, quo nonnunquam induratio non mediocri digito explorante tangitur. — Casibus haud raris aeger ipse locum ulceris designare valet, qua focum dolorum scindentium, constringentium,

Decursu ulteriore aeger animi corripitur dejectione, iracundia, inquietudine, hypochondriasi, imo taedio vitae. Ferit tunc oculos physiognomia tristis, vultus collapsus, macilentia universalis, cutis laxa, pallida, aut luride flavens.

### **Stadium tertium.**

Respectu anatomico per *parietum ventriculi perforationem* definitur.

Phaenomena perforationem significantia constantissima sunt, et characteristica, vix praetervidenda aut promutanda.

Post fortem dolorum scindentium, lacerantium exacerbationem, vel perfectam cruciatuum remissionem — imo pleno salutis prosperae sensu, vehementissimum aeger in loco ventriculi circumscripto, angusto, persentit dolorem, qui natura sua longe a prioribus perpessis distinctus, mox per totum diffunditur abdomen — a regione dorsali interdum per thoracem et spinam radiatim se expandens. — Nullum remedium aut ex- aut internum dolori istij sopiendo par est — imo nec mitigando.

Eodem momento, quo aeger acerbissimo conficitur dolore, subitaneo virium extinctionis, laesionis lethalis, imo mortis instantis afficitur sensu, physiognomia simul singulari defiguratur modo, distortetur; — (verba mihi desunt hanc describere). — Abdomen, ab exordio doloris durum, nunc molle, tympanice inflatum, volumine auctum evadit, (signum effusionis contentorum tum gasiformium tum fluidorum), et creberrime frigoris in illo sensus, ab aegro, summa anxietate detento, refertur.

Deglutiendi difficultas, vomituritio, vel vomitus ipse, Gastrobrosim nonnunquam praecedentes, cum doloris invasione penitus desinunt.



Serius ocius phaenomena dirae peritonitidis nunc in lucem emergunt. Accedit tunc febris plus minusve notae inflammatoriae, et dolor alicubi in abdominis circumferentia fixus et continuus mox in pungentem, urentem convertitur, totum nunc amplectens abdomen, et ab attactu et pressione etiam moderata ingravescens. Sitis nunc plerumque ardens, insatiabilis, quem sedare summopere cupiunt tantalici. Potu largo assumpto sensus percipitur, ac si pondus grave in abdomen e ventriculo volutaretur latus versus, in quod aeger hoc ipso tempore incumbit. Associantur serius dyspnoea angens, continua, extremitatum frigus, donec pulsu minimo, irregulari, intermittente, terribilis clauditur scena, conscientia ad ultimum usque halitum vigente.

Haec eveniunt, si perforatio ventriculi libera est, id est, si per organa vicina non obduratur. *Cruveilhier*, qui perforationem in nonnullis casibus sub valido corporis motu subsequi visus est, opinatur, quod ex hac causa disruptio plagae exulcerantis explicanda foret, — sed clarissimus *Rokitansky* talem perforationis rationem nunquam demonstrare valuit, et hanc potius sequelam inevitabilem processus illius, texturam membranarum per strata singula pedentim exstinguentis, ideo potius in singulari morbi natura fundatam credit.

Ubi ulcus perforans per organa contigua intercluditur momentum perforationis nullo modo dignoscendum.

Perforationem interseptam vero locum habere, dolores scindentes, pungentes, constringentes, ad summum elati gradum et non raro viginti et ultra perdurantes horas, anxietatis simul e stomachi regione egredientis sensus, vomituritio, lipothymiae instantis ac lipothymia ipsa manifestant. Constantissimum signum praebet vomitus, *magnam* sanguinis aut meri, aut coagulati proferens *copiam*, qui symptomatibus mox recensitis associatur, et in pluribus casibus cum materierum pici atrae non dissimilium per anum evacuatione jungitur. Haec haematemesi summum vitae discrimen ponit, et vel primo insultu miserum e medio tollit



aegrum vel repetito impetu deplorabili finem imponit vitae avide plerumque exoptatum.

Ulcus ventriculi perforans ideo mortiferum involvit exitum aut per Gastrobrosim cum consecutiva peritonitide lethali, aut per haemorrhagias profusas. Casibus solum rarissimis, decursu maxime chronico, repetitis dolorum inanum insultibus, duratione longa et intensitate summa distinctis et frequenti ingestorum hinc e illinc sanguinis striis intermistorum vomitu, tabe consummitur aeger, clandestine se evolvente.

### **Differentia a morbis similibus.**

Morbi, cum quibus ulcus ventriculi ob similitudinem symptomatum confundi possit, sunt sequentes:

**Gastritis chronica.** Inflammatio ventriculi chronica dolore constante, punctorio in epigastrio tenso calente, imo duro summe sensili, manifestatur. Semper adest sitis validior normali in aquam frigidam directa, nec non sensus aestus interni, cum pulsu frequentiore, duriusculo. Cardialgiae periodice recurrentes, quae ulcus perforans characterisant, et vomitus materierum punctis nigro-bruneis intermixtarum penitus desiderantur.

**Scirrhus ventriculi.** Quamvis ulcus ventriculi perforans anatomico sumtum respectu nec remotissimam similitudinem cum malo canceratico agnoscat, tamen summa inter morbum nostrum et scirrhum intercedit phaenomenorum analogia, ita ut confiteri coacti simus, paucissima esse symptomata a nobis morbo nostro attributa, quae etiam non convenirent labi canceraticae. Rite phaenomenorum tum localium tum universalium compositione, habita simul ratione quoad singulorum gradum, durationem, typum, remissiones — opus est, ut unum alterumve cum praevalente verisimilitudine discernere liceat morbum.

Si hoc jam de simplici — sine ulla complicatione — ulcere perforante et cancro ventriculi valet, tunc in praxi eo ma-



gis ulcus ventriculi perforans cum cancro — et uti communius sonat, cum scirrho — confundi poterit, ubi:

1. ulcere pyloro insidente hic canalis ipse ob callosam textuum densitatem in ulceris basi et simultaneam membranae mucosa hypertrophiam non mediocriter angustatur, et ubi manuali lustratione aliqua incrassatio imo induratio tangitur, quae simultaneae ventriculi dilatationi, praeprimis in fine illius coeco, occasionem praebet; vel ubi

2. ulcus in varia a pyloro collocatum distantia cinguli adinstar parietes ventriculi constringit aut pylori dislocatio per ulceris cicatrisationem causata contigerat; et

3. tandem, si casibus omnino rarissimis, ulcus perforans cum scirrho combinatur.

Praesentia scirrhi universim tum assumenda foret, si tumor fixus, resistens, regioni pyloricae correspondens tangitur, qui decursu ulteriore in mesogastrium usque extenditur, (verosimiliter pondere suo,) plus minusve circumscripte terminatus. (Interdum aliqua saltem parietum incrassatio manuali lustratur indagazione.) Momentum discriminis non exiguum praebet etiam vomitus, qui ob impeditam contentorum per angustatum canalem pyloricum evacuationem, 3—4 horas post coenam constanter subintrat, materias offerens acres, brunae, imo nigricantes, coloris chocoladae similes et non raro fragmenta parasitae ipsius singulari sua structura dignoscendae, continentes.

Aetas aegri scirrho laborantis saepissime jam provec-ta — symptomatum mox recensitorum, diaeta et regimine etiam maxime consentaneo *nunquam remittentium constantia* — cachexiae tandem singularis — colore cutis praeprimis dignoscendae — clandestina evolutio paginam differentiarum absolvunt. Quo magis hinc phaenomena ulceris perforantis cum illis canceratico malo convenientibus congruunt, eo magis solum conjectura mali nostri stabilienda erit.



## Combinations.

Secundum observationes scholae nostrae pathologico-anatomicae unica combinatio, ubique hucusque praetervisa, nota est, et quidem cum Scirrho, Varia occurrit sub forma. Aut periphæria ulceris sola fungose degeneratur, vel intra acutum et integrum membranae mucosae vel ipsius muscularis marginem basis ulceris scyrrhosa infiltratur materie, vel circumferentiâ periphæriae ulceris penitus exquisiti a nodis — scirrho crudo peculiaribus — pertexta reperitur.

His observationibus elucet, quod morbus primarius ulcus perforans erat, cui serius se associavit cancer ipse;\*) quae argumentatio eo majoris est valoris, quum ulcus canceraticum merum, nunquam formam istam exquisite orbicularem et ab intus excarptam referat, et solum in casibus rarissimis perforatione ipsa terminet.

## Prognosis.

Etiam si dirissimis a primo exordio jam morbus noster ingrediatur symptomatibus summumque involvat vitae discrimen per exitus tam saepissime lethales, tamen in quocunque evolutionis suae gradu ante perforationem sanandus et sub certis conditionibus etiam perforatione jam perfecta sanabilis, quod cicatrices testantur, quae creberrime in ventriculo aegrorum, ulcere perforante olim laborantium, inveniuntur. Imo perforatione intersepta cicatricis etiam si imperfectae formatio observabatur.

Summi momenti est magna mali nostri in recidivas propensio, quod illis facile comprobatur, quae anatomica deprehenduntur lustratione, quum juxta ulcus perforans

---

\*) Praecipue hoc ex illis casibus liquet, ubi parasita formam habet carcinomatis medullaris. (Κάρκος Ἐγκεφαλοῖδ.)



creberrime cicatrices — imo vetustissimae — animadvertantur.

Faustissimo morbi eventu interdum magna ventriculi debilitas et varia appetentiarum, digestionis et assimilationis vitia, remanere solent, quorum ratio in restante membranae mucosae hypertrophia, comite blennorrhœa chronica et perversa succi gastrici secretionem quaerenda est, aut quae per nimiam ventriculi per cicatricem corrugationem — contractionem, quae excessivam substantiae jacturam consequitur et correspondentem dilatationem conditionantur.

### Actiologia.

Densis adhuc tenebris obfuscat causarum notio prognerando nostro malo quam maxime parium. Etiam si interdum cum haemorrhoidibus, menstruationis, se- et excretionum anomaliis observare liceat complicatio, nunquam tamen hucusque concessum erat, morbum nostrum causali quopiam nexu cum illis jungi.

Hoc momentum praeter illa, quae anatomica largitur illustratio et quae aegrorum deprehenduntur persuasione, quod nullibi nisi ventriculo laborent, *Cruveilhieri* opinionem comprobare videtur, morbum nostrum malum sistere sui generis — independens, malum sui juris. Nostra schola pathologica ab exordio saltem illius opinatur sejunctionem.

Inter momenta proëgumena haereditaria quaedam dispositio nullo modo, accuratissimo etiam anamnestico- rum examine, assumi potest.

Aetati omnino proveciori convenire videtur, nam 38<sup>ies</sup> ultra annum quinquagesimum, 24<sup>ies</sup> infra trigesimum, unica vice in trigesimo et bis in decimo septimo et decimo sexto observandi occasio adfuit.

Quoad sexum omnino femineo praerogativam in nostrum morbum concedere debemus, quum inter septuaginta novem, qui in nosocomio observabantur casus quadraginta sex ad foemineum et triginta tres ad virilem spectant sexum.



Non solum vilem plectit gentem, laboribus, fatigiis, curis consummatam sed et honoris gradu superioribus et vitae generi luxurioso indulgentibus non raro hospes invitus.

Inter momenta procatartica illae praeprimis potentiae nocentes, quae repetitam membranae mucosae irritationem subsequa blennorrhoea, et consecutivam inde prognerare valent illius hypertrophiam, ulcerationis processui, singulari sua indole profundiora semper petenti, inseruire videntur. Adnumerantur his:

Cibi et potus vehementer irritantes, calefacientes, acres, fermentantes, vini et spirituosorum in genere, uti cremati, alcoholis, coffeae, rhum; (catarrhus et cardialgiae inde potatorum) — condimentorum acrium, multum exaestuantium abusus; ingesta quaeque fervida, refrigeratio stomachi subita per potum frigidum aut glaciem conditam imprimis post cibos potusve calidos, aut calente multum imo sudante corpore sumtam; emetica dosi debito majore vel saepe nimis usitata, — bilis acerrima, degenerata, succi gastrici perversa secretio (secundum *Bell*) efflorescentiae, aliique cutis morbi chronici regressi, repulsi, affectiones tandem partium vicinarum vel remotarum catarrhales, erysipelatosae, ventriculo communicatae.

Clarissimus *Rokitansky* momentis occasionalibus quam summopere adnumerat febres intermittentes exantlatas, quum ex anamnesi aegrorum complurime elucebat, quod ex eo temporis momento, quo intermittens cessavit febris, symptomata malum nostrum designantia exordium coeperint. Persuasum nonnunquam habet ipse aeger intermittentem sibi deposuisse malum.

Causa proxima processus illius occulte in sphaera vitali ventriculi vigentis partim in concentus vitalitatis turbati a centro systematis gangliaris peripheriam versus translatione, partim in materiali quadam mutatione per principii morborum, cachexia varia prognerati, depositionem causata, quaerenda foret.



## Therapia.

Malo nostro sanando praeprimis regimen et diaeta inserviunt adaequata. Hinc respectu prioris: vehemens corporis motus, intentio, exaestuatio levando onera et gestando, omnis refrigeratio per incautam et repentinam aëris frigidi cum calido commutationem vel per potum frigidum, glaciem conditam, calente praeprimis corpore adsumptam; vestium arctarum, argentium usus; affectuum deprimentium influxus, mentis nimiae operationes; omnia tandem, quae transpirationem cutaneam non solum sed omnium secretionum habitualium restringere valent fluxum, solerter vitanda.

Quam maxime curandum, ut aër aegrum ambiens modice calidus sit atque aequabilis, ut procuretur abdominis per adcommodatum vestitus usum fatus. Summopere commendanda animi tranquillitas, mentis quies.

Diaeta ab initio strictissime exquisita, digestu facilis, blanda, copiae convenientis, absolute requiritur. Omnis potus aut ciborum avida ingurgitatio quam maxime nocet.

Diligenter et accurate ab aegro inquirendum, quomodo cibos et potus distinctae qualitatis ferat, an certa jam sibi selegit, aut seligeret nutrimenta, etc. Creberrime aeger non solum copiam et indolem, sed et temperaturam alimenterum, praeprimis sibi convenientem, perfecte designare studet.

Instinctuum — nocentium et faventium simul ratio habenda est, quum non raro nutrimenta indolis maxime heterogenae perbene digestionem cedunt adhuc labefactatae, dum ciborum ad speciem indifferentium usus omnium molestiarum gravem causat exacerbationem. Experientia constat, aegros interdum uno et definito solum cibo frui posse.

Praeprimis conveniunt ab initio diaeta mere vegetabilis, ex Cremore Hordei, Orizae, Avenae, jusculis Sago,



Salep, radice Scorzonerae, fructibus Horaeis dulcibus coctis, Aroow-Root; tardius jusculis carniū non salsis, gelatinis conflata. Pro potu aqua mera, frigida, sub certis circumstantiis imo glacialis, acido carbonico scatens, Saccharum copiosum aqua solutum perbene commendantur. Quam maxime vero favet constans et restrictus lactis aut illius seri usus. *Cruveilhier* hanc curandi methodum summis extollit laudibus. An non etiam hodierno die a multis de hoc morbo nec somniantibus, qui ulcus perforans false pro scirrho habent ventriculi, sola et restricta lactis diaeta malum nostrum sanare videmus?

Sanguinis depletiones universales rarissime necessariae evadunt. Sensibilitate ad circumscriptam ventriculi plagam — nimia, continua, per contrectationem etiam fortio-rem, per ingesta in dolorem intendenda, iterata sanguisugarum requiritur applicatio, et loco omnium remediorum anodynorum, parvae magnesia carbonicae, lapidum cancrorum, aquae calcis, aut merae aut lacte attenuatae quam optime conducunt doses. Lac aut recenter emulsum, vel si non fertur, sine flore, tepidum aut frigidiusculum, exigua quantitae ( $\frac{1}{2}$  — 1 cochleari cibario) praescribendum. Praediligitur connubium cum aqua calcis, vel aqua Selterana, Joannea, Gleichenbergiana, Bilinensi copiae convenientis.

Vomitus lactis usum subsequens decoctis radice Altheae, Salep, vel Hordei, Orizae, aqua mera mitigandus, sopiendus. Enemata alvum leniter ducentia, fomenta et cataplasmata levia, balnea sub cautissimo corporis et speciatim musculorum abdominalium motu, nec non vesicaugia, sinapismi suo tempore agant oportet.

Regimine et diaeta mox recensita per menses indefessa severitate et diligentia servata felicissimo si coronantur effectu, aegris succulentiora avide exposcentibus, magis nutrientia omnino concedi possunt. Sed tunc solummodo aeger omni ex parte salvus habendus, si omnes disparuerint molestiae. Criterium optimum est, si aeger continua valetudinis fruitur prosperitate, etiamsi diaetam ser-



vet a se ipso selectam, plus minusve alentem, et vires digestivas validiores exposcentem.

Celer ad sanitatem reditus et velox molestiarum cessatio melius cassa habenda, quum admodum in promptu est, morbum nostrum luculentas celebrare remissiones. Semper probe memoria tenendum, quod summa propensione in recidivas feratur et interdum clandestine irrepens, mox terribile extollat caput.

Curandi methodum ante memoratam insufficientem per ulcera artificialia, cortice Mezerei, imprimis unguento stibiato vel fonticulo ad brachia vel femora facta et diu sustentata adjuvari oportet.

Ad leniendas sopiendasve cardialgias quam maxime Carbonas Magnesia, bicarbonas Sodae, Lapidés cancrorum, flores Zinci, aqua Laurocerasi, magisterium Bismuthi (a grano semis omni trihorio porrigendum) commendanda. — Opio a *Cruveilhier* omni jure palma abripitur. — Sub certis conditionibus parvae quantitates tenuis infusi Chamomillae, Melissa, praeprimis reiterata sinapismorum applicatio prosunt. Externe epithemata calida, aromatica, sicca vel humida, lotiones epigastrii cum infusis aromaticis, inunctiones illius vel spinae dorsi cum linimentis vel unguentis aromaticis, utilia visa sunt.

Haemorrhagiis in laesione mere locali plenariam agnoscentibus rationem eo adlaborandum, ut vasa laesa chemice vel dynamice irritantibus ad contractionem indeque laesi praeclusionem sollicitentur. — Hinc frigida Plumbi, Aluminis, hujus et Gummi-Kino solutiones, acidum sulfuricum cum aqua dilutum, acidum Halleri cum aqua, decocta tenuia corticum Salicis, Hippocastani, Quercus, radicem Tormentillae, Ratanhiae in usum vocanda.

Gastrobrosi casu infelicissimo locum habente aeger infelici suae sorti minime commitendus. Peritonitis inde consecutiva, summa corporis quiete, sanguisugarum numero sat largo cautissima applicatione nec non pharmacorum per annum usu debellanda.



Historias binas morborum in finem adduxi omnium, quae ambae circa ulcus perforans in utroque casu gastrobrosi et peritonitide lethali terminans, sonantes in funesti hujus mali dilucidationem ut conferant summo trahor desiderio.

### **Historia prima.**

W. Th. vir, annum quinquagesimum vitae degens, constitutionis fortis, ex septem annis jam dispepsia, cardialgiis, nec non colico dolore intercurrente laboravit, quas molestias vero parvi fecit, quum per intervalla solum presto erant. Ex sex mensibus nunc non solum plenarium ciborum fastidium et nauseam sed et dolorem in regione epigastrii fixum, obtusum, intervallis irregulariter decurrentibus acutissimum persensisse adsignat. Frequenter hunc dolorem subsequutus est vomitus fluidum limpidum, salivae simile efferrens, qui serius pluries de die et recentiori tempore constanter post coenam intravit, quo cibi et potus, quibus fruebatur, ejiciebantur. Ante quatuordecim dies post insultum dolorum scindentium ardentium vomitum cruentum perpessus est. Materiae ejectae atrobrunee, floccis rubro bruneis inquinatae erant. Heri de novo doloribus in scrobiculo cordis fixis, scindentibus correptus nosocomium adivit, ubi vix advena de novo vomitum patiebatur cruentum.

**Status praesens.** Aeger emaciatus, magnopere debilis, capitis dolorem accusat obtusum. Facies illius collapsa et oculi splendore privati in orbitam retracti, sulco coeruleo-bruneo cincti gravem intestinorum pronunciant labem. Lingua est sicca, fere prae rubra, sitis immanis. Respiratio quidpiam citata, omni ex parte libera. In scrobiculo cordis summe sensili omnis manuum aversatur indagatio; in mesogastrio dolor lancinans ad epigastrium intensitate crescens, regio hypogastrica vero indolens. Abdomen volumine auctum. Cutis sicca, temperatura illius infra normam, pulsus vix tangendus.

His symptomatibus perstantibus de nocte mors.



**Extispicium.** In cavo abdominis 4 lib. fluidi squallido-brunei cum floccoso ventriculi contento remixti, odoris mephitici. Peritoneum in tota circumferentia, praeprimis vero in intestinorum tenuium ambitu, colore rubiginoso punctatum, hinc et illinc lineas latas coloris intense rubri exhibens, exsudato lymphatico tenui, flavo-rubro tectum. Ventriculus ipse praegrandis, collapsus; membrana illius serosa in regione arcui minori correspondente rubiginose colorata. In cava illius 1  $\frac{1}{2}$  lib. fluidi nigro-brunei cum mucositate tenaci, viridescente permixti. Membrana mucosa undique, praecipue in pylori regione 3''' suffarcinata, granulosa, fundum versus laxa, mollior, et in curvatura minori pylorum versus cum reliquis perfossa. Foramen orbiculare marginibus acutissimis 3''' in utraque diametro introrsum cum cavitate communicabat, cujus basin a margine membranae mucosae everso circumdatam submucoso-cellulosa densior normali formavit. In fundo cavitatis hujus, ostiola surculorum per puncta rubro-nigra inermi etiam oculo visibilia patebant.

Textus submucoso-cellulosus emphyoematice inflatus. — Ob angustationem canalis pylorici per membranarum incrassationem transitus digito minori vix concedebatur. Duodenum relaxatum, omni tono privatum, extensum. In cavo illius, regioni pyloro proximae ulcus magnitudinis grossi argentei, stellatim cicatrisans.

### **Historia secunda.**

K. J. 58 annorum, ostiarius, florem aetatis suae prospero salutis sensu transegit. Annum degens trigesimum febre correptus fuit intermittente, per tres annos omni autumno recurrente, ex qua tandem evasit, cortice peruviano per longius tempus adhibito. Nunc ex annis partim indigestione, partim cardialgia se vexari adserit. Quibus attamen non perterritus omne medici auxilium sprexit et remediis domesticis, quibus unice salutem suam concessit, dolores



per vices intolerabiles sopire curavit. Ante mensem dolore in scrobiculo cordis magis pungente et ardente evadente haematemesim perpessus est, qua sanguis copiosus et niger emovebatur. Dolores abhinc de die in diem atrociores evasere et post captum cibum, etiamsi minima quantitate sumtum, notabiliter augebantur. Heri subito dolorem ardentem in penetralibus ventriculi percepisse dicitur, qui fere sine ulla intermissione perdurans, aegrum nosocomium adire cogebatur. Tertio mensis Martii Anni 1838 susceptus, sequentem exhibuit morbi imaginem.

Physiognomia tristis, facies collapsa, oculi languidi, semiclausi, in orbitam refracti, lingua in radice et marginibus muco flavo obtecta, in apice praerubra, sapor amarus, sitis modica, Respiratio citata. Regio epigastrii calet, sub manuali investigatione dolor pungens, lancinans, ad mesogastrium se diradians, accusatur, sub trunci motu intendendus. Hypogastrium indolens. Cutis sicca, calor illius major normali, pulsus frequentes, contracti.

4/3. Aeger agrypnia, inquietudine et anxietate angente confectus summopere debilem se sentit, et luctuosas de doloribus in epigastrio vehementissime saevientibus fert querelas. Fauces siti ardent. Cutis inaequaliter calet, pulsus frequentes, duri, contracti.

5/3. Debilitas et anxietas summum nanciscuntur fastigium; facies collapsa et distorta, sitis tantalica. Dolores tensivi lancinantes per totum abdomen diffusi, continui, pulsus celeres, irregulares, cutis temperatura infra normam.

6/3. Vomitus sanguinolentus; singultus perpetuus; dolores eadem continuo urgent vehementia, extremitatum frigus, pulsus fere nullus.

7/3. Meridie mors.

Sectio. In cavo pelvis 2 lib. lymphae squalido-flavae, puriformis, faeces redolentis. Peritonitis. Hepar tenui exsudato lymphatico obvolutum in parte convexa lobi sinistri laxè cum anteriori abdominis conglutinatur facie. In ventriculo collapsò fluidum flavescens, foeculentum, ingrato



olens. Hujus membrana mucosa in pylori regione hypertrophica. In facie posteriore duos digitos transversos procul a pyloro, ulcus ellipticum, in axi ventriculi transversa situm, in diametro majori 4'' in minore 2'' metiens deprehenditur. Hujus margo exterior uti basis, quae a pancreate et externa mesocoli conformatur lamina, inaequales, cum molli, facile diffluente et dilute alba materie cerebri substantiae simili infiltrata. In parte curvaturae minori correspondente penes pancreas patens erosa cernuntur vasorum ostiola partim aperta, partim obstructa.

In facie anteriore duas pollices procul a curvatura minore ventriculi membranae in ambitu argentei minoris perfossae et per convexam hepatis faciem strati lymphatico-puriformis ope obstructae.

---



## **Theses defendendae.**

---

### **I.**

In medicina auctorum auctoritas valeat minimum, sed facta faciant plurimum.

### **II.**

Nec aetas nec fama sed ingenium atque experientia medentis constituunt valorem.

### **III.**

Theorema; „Membranas fibrosas nervis destitui” non de omnibus valet.

### **IV.**

Nervis gangliaribus unicis convenit directus in sanguinem influxus.

### **V.**

Actionem muscularem in contractione arteriarum defendo.

### **VI.**

Morbus, in quacunque appareat corporis parte, iisdem obtemperat legibus.

### **VII.**

Sine necroscopiis nulla foret anatome, nulla physiologia, et miserrima pathologia.

*Nob. ab Hildenbrand.*

### **VIII.**

Creberrima causa ossificationis valvularum cordis, rheumatismus est acutus.

### **IX.**

In sthenocardia saepissime splenitis.

*Koletschka.*



X.

In apoplexia sanguinea aut vitium cordis, aut vasorum cerebri ossificatio.

XI.

Ileitis in typho abdominali signum delationis producti pathici ad glandulas ilei.

XII.

Febris puerperalis vel metro-peritonitis vel metro-phlebitis.

XIII.

Encephalomalacia flava non est inflammatio substantiae cerebri.

XIV.

Non nisi Pathologó-Anatomus sthetoscopio cum fructu uti potest.

XV.

Amicorum consortium optimum Hypochondriacis remedium.

XVI.

Quo majori contra morbum quempiam laudantur remedia numero, tanto majori sub cura earum premimur egestate.

XVII.

Non datur blennorrhœa syphilitica.

XVIII.

Neonatorum inflammationes febri carent.

---